



AR



XVIII

XVIII Cum CVNO intra coronam laureatam, & in aversa parte Equum cum TASCE.

Vidimus præterea alium cum Pegaso & CAMV. In cuius aversa figura galeata cum clypeo inter segetes & CVNO, alium cum equo malè efformato & EISV, forte ISVII, & in aversa, spica: alium cum milite hastato, & in aversa inter torquem SOLIDV. Solidum nummum fuisse non credo, cum ille semper eo ævo aureus, & hic argenteus. Probabilius ad Solidurios referatur. Sic enim Galli præci vocarunt viros devotos, quorum hæc erat conditio, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruatur, quorum se amicitia dederint. Si quid iis per vim accidat, aut eundem casum unà ferant, aut sibi mortem consciscant; nec ex his repertus erat quisquam, qui eo interfecto cuius se amicitia devovisset, mori recusavit. An ex his nomen obvenit militibus qui Principi vel Reipub. alicui devoti, stipendia faciunt, & apud plures Europæ nationes eodem fere nomine, sc. Soldiers, Soldats, Soldados, &c. appellantur, malim alios cogitare, quàm me dicere; licet ego in eam potius irem sententiam Solidarios recentiori ævo eos fuisse dictos, ad differentiam eorum qui ratione feudorum sine solidis militarunt.

An hoc genus nummorum in promiscuo fuerint moneta, & commerciorum usu, an alicui seorsim usui principio signatum, inter eruditos controvertitur. Conjecturam verò (si modo interponere liceat) paucis habe meam. Cum Caesar quid in annos singulos vectigalis Britanni pensitarent constituisset, & sub Augusto vectigalia Portoria illa in evadendo aut indebendo tolerarent, sensim etiam Tributa alia fuerunt imposita, scilicet pro sativis, plantariis, arboretis, pastionibus minorum, & majorum animalium, cum jam domiti essent ut parerent, non ut servirent. In eum usum hos nummos primùm cusos opinatus sum, pro majoribus animalibus cum equo, pro minoribus cum porco, pro sylvis cum arbore, pro sativis cum spica, ut in illo Verulamienfium qui inscribitur VERV. Illi autem cum capite humano, signati videantur pro tributo Capitacionis

quod personale erat, & capiti cuiusque sive personæ imponebatur, fæminis ab anno ætatis duodecimo, masculis à decimo quarto. Quod Bunduica sive Bodicia Britannorum Regina conqueritur hisce verbis apud suos, Et pascitis & aratis Romanis, corporum etiam annuum tributum reddentes. Ad hoc olim percussum certum genus nummi putavi, cum in sacris literis Nomisma census disertè appellatur, & Hesychius νομισμα, εἰς τοῦ νόμισματος ἐπιπέφραται interpretetur. Firmiusque hoc credo quòd in nonnullis Monetarius pecuniam signans exprimitur cum TASCIA, quod apud Britannos Denarium tributum significat: in promiscuo tamen usu hæc postea fuisse non diffiteor. Nec ea adhuc sum sententia, qua illi qui volunt Porcum, Equum, Spicam, Ianum &c. insignia fuisse gentium, aut principum peculiaria, cum unum eundemque principem & gentem varia usurpasse insignia in his videre licet, ut Cunobilinum, porcum, equum & spicam &c. & alia suis nummis insculpsit.

Numisma census.

An verò hæc numismata census cusa fuerint à Romanis, an à provincialibus, vel eorum Regibus, cum orbis terrarum ab Augusto censeretur, non facile dixerò. A Britannicis Regibus signata fuisse suspicari lubet cum Britannia à Iulii Caesaris tempore usque ad Claudii suis legibus sit usa, & suis Regibus (ut author est Dio) permessa, cumque effigies & titulos Britannicorum Principum præ se ferant. Habuerunt enim Romani recepta consuetudine Reges in provinciis ut servitutis instrumenta; qui jam quasi socii Romanorum in illorum mores paulatim (quod victis usu venit) abiire, & ut videtur, Romano more & pondere pecuniam signare, nomenque nummis inscribere cæperunt. At contra in Iudæa, ut ex Christi responso colligatur, Caesaris facie & inscriptione signabantur, & ut probabile est, ab ipsis Romanis. Quod Caesar Baronius Cardinalis historicus Ecclesiæ præstantissimus hisce verbis docet: Moris fuit apud Romanos ut numismata pro ratione tributum, vel census ab Imperatoribus cuderentur, nec uno semper modo eadem permanerent; sed secundum incrementa & decrementa tributorum à cæteris usualis pecuniæ nummis in eo differrent, quòd istorum pretium semper idem est, numismata verò census vel tributum, cum mutaretur tributum qualitas, eadem ad rationem tributum formarunt. Sed eruditi nonnulli hac in re Baronio minimè suffragantur.

NOTÆ AD ROMANORVM

Numismata.



I



AR



RIMVS Romanorum post Caesarem Claudius serid Britanniam cogitavit, transmissoque exercitu australem partem in provincia formam redegit: Quo tempore signatus hic primus nummus videatur qui compendiò inscribitur,

Dio Cas-
sius.

TI. CLAVD. CÆS. AVG. P. M. TR. P. VIII.
IMP. XVI. id est, Tiberius Claudius Cæsar Au-

gustus, Pontifex Maximus, Tribunitia potestate IX. Imperator XVI. Ut hos titulos semel explicem. Post Iulium Caesarem qui Romana Monarchia fundamenta jecit, omnes successores in ejus honorem dici voluerunt Caesares & Augusti, quasi hominum naturam excederent, quæ enim sacrosancta Augusta dicuntur; Pontifices Maximi, quòd omnibus saterdotiis essent consecrati, sacrisque præfessent; Tribunitiamque potestatem usurparunt (Tribuni enim dici noluerunt) ut essent inviolabiles. Hac enim auctoritate si quis eis malediceret, aut vim afferret, indemnatus ut sacrilegus occideretur, potestatemque Tribunitiam quotannis renovarunt, unde summa annorum imperii concipi solebat. Postremò Imperatores sunt dicti, quòd amplissimum esset eorum imperium, eoque nomine Regum